Digitized by Google

4 · 3 · 320

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI THOMAE
ANSALDI
ECCLESIAE CATHEDRALIS MINIATENSIS
PRAEPOSITI
DE DIVINITATE
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
DISSERTATIO.

FLORENTIAE MDCCLV.

Ex Typographia Ioannis Baptiſtae Stecchi

SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

P. O. M.

PETRVS THOMAS ANSALDIVS CATHEDRALIS MINIATENSIS PRAEPOSITVS.

Perpetuam Felicitatem.

QVam elucubrationem edere in lucem adgredior BEATISSIME PATER, diu anceps non haeſi cuius nomini conſecrarem, praeſidioque committerem; Et quo enim

Digitized by Google

alio nomine eam poteram, aut debebam exornare, quam glorioſiſſimo Tuo Nomine, cuius celebritate, & maieſtate univerſus Terrarum Orbis repletus eſt? Eo vel magis, quod Tu non tantum Is es, qui Ieſu Chriſti humani generis Servatoris, cuius ego Divinitatem hac meâ in Diſſertatione demonſtrandam ſuſcipio, vices in terris geris, & locum iure optimo tenes; ſed Is etiam es, qui me non ſemel, & perhumaniter alloqui, & beneficiis cumulare non es dedignatus. O utinam Beatissime Pater, grande aliquod opus excelſoque

Tuae

Digitized by Google

Tuae Sanctitatis merito vere dignum elaborare potuiſſem, quo ſic grati animi legibus plenius, uberiuſque ſatisfacere valerem. At enim, ne quod in votis maxime eſt exequar inſuperabili ſunt impedimento tenues ingenii mei vires, quas mihi naturam conceſſiſſe cum omnibus compertum eſt, tum vel invitus cogor experiri, ſinecereque fateri. Excipe igitur hilari vultu, ſerenaque fronte hoc mei erga Te obſequentis, gratique animi monimentum, minimum quidem prae Dignitate Tua, prae viribus tamen meis utique maximum, neque

exi-

Digitized by Google

exiguum, quod Tibi offertur, reſpice munuſculum, ſed humilem, benevolum, venerabundum, quo Sanctitati Tuae exhibetur animum intendas, & plurimi, ut facias oro, obteſtorque. Soſpitet Te Deus, aeternumque ſi fieri poteſt, ſoſpitet, ad univerſae Eccleſiae, quam tantâ ſapientiâ, tantâque prudentiâ, & plauſu regis, ſempiternum bonum.

PRAE-

PRAEFATIO.

CVm *graviſſimum argumentum, quod Domini noſtri Ieſu Chriſti Divinitatem ſpectat*, ex Scriptura, & traditione, ex SS. PP. auctoritate, aliisque Theologicis locis *ſatis abunde, atque luculenter Sapientiſſimi Viri pertractarint, ne actum agere videar. Conſilium mihi eſt eandem hanc Catholicae Religionis veritatem, ex Oecumenicis Conciliis, ex antiquis Liturgiis, atque ex variis Chriſtianorum, & Gentium Monumentis demonſtrare, & ſi antequam huic Theologicae Demonſtrationi ma-*

nam

num admoveam, operae praetium duxerim, aliqua tantum SS. PP. Teſtimonia in medium proferre, quae inſtituto meo magis conducere videntur.

S. Ioannes Damaſcenus de Fid. Orth. lib. III. cap. XIX. pag. CCXXXXIV. Edit. Pariſinae anni MDCCXII. Divinitatis Chriſti Domini locupletiſſimus teſtis ait „ Nihil igitur aliud Theandrica actio declarat, quam quod Deo facto Viro, hoc eſt Incarnato humana quaeque ipſius actio divina erat, ſive deificata; Nec divinae ipſius operationis expers, rurſumque divina ipſius actio humanae ipſius actionis exors non erat; verum utraque una cum altera conſiderabatur.

S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus de Trinitate lib. II. num. XXVII. inquit „ Ita poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur, nempe aſſumitur (quidquid enim de varia lectione Hilariani huius Codicis diſſeruerit Eruditi) id quidem nequaquam tot concertationibus diſquirendum erat, cum ab utraque lectione (ſive dum carnis humilitas adoratur, ſive dum carnis hu-

humilitas adoptatur) *ſenſus fluat Orthodoxus: patet enim verbum adoptatur de Humanitate intelligendum eſſe a Filio adſumta, non a Patre adoptata, ut ſapientiſſime ſcripſit V.C. Marchio Scipio Maffeus in praefatione Operum S. Hilarii; atque eo vel maxime quia ſexcentis in locis Unitas Dei Patris cum Filio eius Ieſu Chriſto ex eiusdem Sancti Hilarii libris manifeſtiſſime conſtat. Unum tantumodo locum ex bene multis ſeligam, quem lego lib. VIII. de Trinitate num. LIII. in quo Sanctus Pater haec verba ſubdit:* „ *Ut autem dictum Domini intelligas,*
„ *quo ait* omnia quae Patris ſunt, mea
„ ſunt; *Apoſtoli, & doctrinam, & Fidem*
„ *diſce dicentis, videte* ne quis vos ſedu-
„ cat per Philoſophiam, & inanem de-
„ ceptionem ſecundum Elementa Mun-
„ di, & non ſecundum Chriſtum, quia
„ in ipſo inhabitat omnis plenitudo Di-
„ vinitatis corporaliter. *De Mundo eſt,*
„ *& doctrinas hominum ſapit, & Philoſo-*
„ *phiae praeda eſt quisquis Chriſtum ve-*

Digitized by Google

*„ rum Deum neſcit, quisquis in eo plenitu-
„ dinem Divinitatis ignorat. „*

S. Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, qui Felicianam haereſim ſtrenue confutavit, de Filii Divinitate haec praeclariſſima verba ſubdit: „ Sed quia Verbum Deus unius cum Patre ſubſtantiae in veritate Perſonae ſuae, ſuſcepit noſtram ſubſtantiam, non erit alio medio Filius poſt Humanitatis aſſumptionem, niſi quo erat & ante Incarnationem; apud Biblioth. VV. Patrum Tom. XIV. Edit. Lugdun. an. MDCLXXVII. pag. CCIL. lit. A.

His SS. PP. auctoritatibus delibatis.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTI DOMINI DIVINITAS

Ex Conciliis Oecumenicis demonſtratur.

CAPUT PRIMUM.

PRincipem locum Generalia inter & Oecumenica Concilia obtinere Hieroſolymitanum illud ab Apoſtolis, & ſenioribus habitum, in quo de Moſaicae Legis obſervantia actum eſt, & ad cuius normam tanquam ad archetypum, poſteriora Concilia referenda eſſe, adeo explorati iuris eſt, ut nemo unquam inficias ire poſſit.

Digitized by Google

In hoc autem Concilio in primis aſſeritur Chriſti Divinitas, ut praecipuum noſtrae Fidei fundamentum; ait enim Apoſtolus Petrus Actuum cap. xv. v. vii. *Viri fratres vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere*, & v. xxv. eiusdem capitis; *Placuit nobis collectis in unum eligere Viros, & mittere ad vos, cum cariſſimis noſtris Barnaba, & Paulo hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti*. Sane ſi Apoſtolus Petrus a Deo ſe electum, & Barnabam, & Paulum pro nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti animas ſuas tradidiſſe adfirmat; non utique ab homine tantum, ſed ab homine Deo ſe electum, quemadmodum Barnabam, & Paulum propter eumdem Deum hominem factum animas ſuas poſuiſſe adfirmet, neceſſe eſt. Concilium etiam Nicaenum primum Oecumenicum habitum anno Chriſti cccxxv. ſub Silveſtro I. & Imperatore Conſtantino, cui Oſius Cordubenſis Epiſcopus nomine Silveſtri Romani

ni Pontificis praefuit, impium damnavit Arium, qui Divini Verbi cum Aeterno Patre conſubſtantialitatem negabat. Cum igitur ex hac Arii damnatione pateat Divinum Verbum credendum eſſe aeterno Patri conſubſtantiale, quod graeco verbo redditur ὁμοούσιον, neque aliter verbum eſſe poſſit Aeterno Patri conſubſtantiale, quin idem ſit Deus, patet hinc ejusdem Verbi Divinitas. Cum vero hoc idem Verbum, teſte Evangeliſta Ioanne, factum ſit caro, factum autem caro dicatur Chriſtus ſequitur ex eiusdem Concilii doctrina Chriſtum Dominum habendum eſſe Deum verum. Quod apertius elucet, ex laudati Concilii Symbolo his verbis concepto: *Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, & in unum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei ex Patre natum, ideſt ex ſubſtantia Patris lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero*. Concilium Conſtantinopolitanum primum Oecumenicum ſecundum, ſub Damaſo Romano Pontifice, & Imperatore Theodoſio Magno anno CCCLXXXI. celebratum, Ni-

caeni

caeni primi Concilii doctrinam ratione ad propoſitum noſtrum demonſtrandum magis accomodata, atque manifeſta confirmavit. Haec enim eſt Fidei confeſſio, quam ad Nicaeni Symboli confirmationem in laudato Concilio expreſſam legimus: *Credimus in unum Patrem Omnipotentem, & in unum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei Unigenitum ex Patre natum ante omnia ſaecula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum,* ὁμοούσιον *Patri, hoc eſt eiusdem cum Patre ſubſtantiae, per quem omnia facta ſunt, quae in coelo, quae in terra; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de coelis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt.* Haec Conſtantinopolitana confeſſio potuit ne luculentius Chriſti Domini Divinitatem declarare?

Concilium Epheſinum primum Oecumenicum tertium ſub Coeleſtino, & Imperatore Theodoſio Iuniore anno CCCCXXXI. indictum, & convocatum anathemate percuſſit Neſtorium, qui duas

in Chriſto perſonas admittebat, & Virginem Mariam dicendam non eſſe Deiparam, quae Graece appellatur Θεοτόκος, ſed tantum Chriſtiparam Graece Χριστοτόκον contendebat: igitur Epheſini Patres Chriſtum Dominum Deum verum adorandum eſſe voluerunt, neque enim Virgo Maria, quae Chriſtum genuit Dei Mater vere dici poſſet, niſi Chriſtus ab Ea genitus verus eſſet Deus. Conſulendi ſunt etiam eiusdem Concilii Anathematiſmi, ſed illi potiſſimum, quibus Neſtorianae Haereſis Anathematiſmi omnino labefactantur, ut animadvertit V. C. Pater Auguſtinus Urſius Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter in ſua Eccleſiaſtica Hiſtoria Tom. XII. primae editionis lib. XXVIII. pag. CCCXXXIII. num. XLVIII. & pag. CCCLIII. poſt numerum LXI. eiusdem libri. Hi Anathematiſmi eos etiam damnant, qui Emmanuelem ideſt Filium Dei Incarnatum, verum Deum eſſe inficiantur.

Concilium Calcedonenſe Oecumenicum quartum ſub Leone primo Romano

no Pontifice,& Imperatore Marciano convocatum anno CCCCLI. nefarium damnavit Eutychetem, qui unam tantum in Chriſto naturam adfirmabat: cuius ſane Concilii Patres ſuperiora Oecumenica Concilia confirmarunt, & hanc Fidei formulam ediderunt, quae Chriſti Divinitatem aperte teſtatur: *Unum eumdemque confiteri filium, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſonanter omnes docemus eundemque perfectum in Humanitate Deum verum, & hominem verum.*

Concilium Conſtantinopolitanum II. Oecumenicum V. ſub Vigilio Romano Pontifice, & Imperatore Iuſtiniano anno Chriſti DLIII. invito quidem Vigilio Romano Pontifice inceptum, ſed poſtea ab eodem Pontifice adprobatum, & inter Oecumenica relatum, haec habet adverſus tria capitula: *Si quis defendit Theodorum Mopſueſtenum, qui dixit, alium eſſe Deum Verbum, & alium Chriſtum: Si quis defendit conſcripta Theodoreti, quae exp[illegible] pro Neſtorio Haeretico &c. Si quis defendit impiam Epiſtolam, quam ad Mariam,* Ibas, ſcri-

Digitized by Google

ſcripſiſſe dicitur, *quae negat Deum Verbum; hominem factum eſſe, & dicit non Deum Verbum ex Virgine Incarnatum, natum eſſe; ſed purum hominem ex ipſa natum, quam Templum vocat, ut alius ſit, Deus Verbum, & alius Homo, anathema ſit*. Ex quibus anathematiſmis perſpicuum ſane eſt Chriſti Domini Divinitatem ab Haereticorum blaſphemiis eſſe vindicatam.

Concilium Conſtantinopolitanum III. Oecumenicum VI. ſub Agathone Romano Pontifice, & Imperatore Conſtantino Pogonato anno DCLXXX. celebratum, blaſphemiam damnavit eorum, qui unam tantum voluntatem in Chriſto praedicabant; unde vocabantur Monothelitae, & hanc protulit Fidei definitionem: *Definientes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum noſtrum, perfectum in Deitate, & perfectum eundem in Humanitate, Deum vere, & Hominem vere, conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem.*

Concilium Nicaenum ſecundum Generale, & Oecumenicum Septimum ſub

Hadriano Romano Pontifice, & Imperatore Conſtantino, & Irene eius matre, anno DCCLXXXVII. coactum, Symboli Concilio Nicaeno primi editi Dogmata ſe ſuſcipere profitetur, & Actione I. hanc Fidei confeſſionem habet: *Credo, & confiteor in unum Deum Patrem omnipotentem, & in unicum Dominum Ieſum Chriſtum Filium eius unigenitum: Confiteor etiam omnia, quae ſunt diſpenſationis unius Sanctae Trinitatis, Domini videlicet, & Dei noſtri Ieſu Chriſti, quemadmodum Sanctae, & univerſales ſex Synodi tradiderunt*. Ideoque Chriſti Domini Divinitatem luculentiſſime comprobat. Huius Nicaeni Concilii Acta refert Philippus Labbeus Tom. VIII. collectionis Conciliorum, ſicut, & aliorum Generalium Oecumenicarumque Synodorum Fidei Canones in laudata Labbeiana Collectione legi poſſunt.

Concilium Conſtantinopolitanum IV. generale, & Oecumenicum octavum ſub Hadriano II. Pontifice, & Imperatore Baſilio anno DCCCLXIX hanc Fidei Formulam edidit, quae Chriſti Domini Di-

vi-

vinitatem declarat: *Confitemur unicum Dei Verbum incarnatum, & factum fuiſſe propter nos ſecundum nos; non enim Angelus, ſed ipſe Dominus venit, & ſalvavit nos, & nobiſcum factus eſt Emmanuel, & ipſe erat Deus verus Deus Iſrael, & omnium Salvator, duplicem dicentes unum, eundemque Chriſtum, & Dominum Deum, ſcilicet Deum perfectum, & Hominem perfectum in una perſona.*

Concilium Lateranenſe quartum generale, & Oecumenicum XII. ſub Innocentio III., & Imperatore Theodoro Laſcari in Oriente; in Occidente Othone IV. anno MCCXXV. hanc fidem profitetur: *Firmiter credimus de Dei Filio, qui cum ſecundum Divinitatem ſit immortalis, & impaſſibilis, idem ipſe ſecundum Humanitatem factus eſt paſſibilis, & mortalis.*

Lugdunenſe ſecundum Oecumenicum, & Generale ſub Gregorio X., & Iacobo Aragoniae Rege praeſente anno MCCLXXIV. celebratum, egregium reddit de Filii Divinitate teſtimonium: *Fideli, ac*

devota profeſſione fatemur (inquiunt Lugdunenſes Patres) *quod Spiritus Sanctus, aeternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis; ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione, procedit* Labbeus Tom. VII. Edit. Lugdun. ann. MDCCXV. in Conſtitutionibus a Gregorio Papa X. in Concilio Lugdunenſi Generali ſancitis num. I. de Summa Trinitate, & Fide Catholica.

Florentinum ſub Eugenio IV., & Ioanne Palaeologo Graecorum Imperatore Ioſephoque Patriarca Conſtantinopolitano an. MCCCCXXXVIII., vel MCCCCXXXIX. in Definitione Sanctae Oecumenicae Synodi habet: *quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio aeternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens, habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex utroque aeternaliter, tanquam ex uno principio, & ab unica ſpiratione, procedit*. Labbeus Tom. IX. pag. CCCCXXII Edit. Pariſ. ann. MDCCXIV.

Concilium vero Tridentinum poſtremum ex Generalibus, & Oecumenicis,

uſque

uſque ad hanc diem celebratis, habitum ſub Paulo III.; & Carolo V. Imperatore ann. MDXXXXV. confirmavit Symbolum in omnibus Eccleſiis recitari ſolitum quod Chriſti Domini Divinitatem declarat, & Seſſione III. expreſſum invenitur.

His, quae protulimus, tum Graecis, tum Latinis, Conciliis ſine ulla controverſia Generalibus, & Oecumenicis, adeoque in Eccleſia univerſa infallibilem auctoritatem obtinentibus, veluti pro coronide addere iuvat Concilium Ariminenſe legitimum: nam Concilia duo Ariminenſis Synodi nomine circumferuntur, unum legitimum, & germanum, Arimini verè habitum; quod Catholicum, & ſumma laude dignum vocat V. C. Philippus Labbeus Societatis Ieſu Tom. II. pag. DCCCLXXXIII. in laudata Conciliorum collectione, & Maximus Annalium Eccleſiaſticorum Parens Cardinalis Baronius anno CCCLIX. numero XLIX. L. & LI. Legitimum, & Generale Concilium vocat; & vere Legitimum, atque Oecumenicum a Pagio V. C. in Critica Baroniana ad an-

num.

num CCCLIX. numero ſecundo celebratur; alterum verò ſpurium, & illegitimum alibi verius quam Arimini habitum, Vrſacii, Valentis, & aliorum Arianorum fraudibus coactum; in quo *Homoeuſios* quidem adprobatur, ſed *Homouſion* vocabulum ſuppreſſum legitur, Sanctus Hilarius in Fragmentis Concilii Ariminenſis, Fragmento VII., & in appendice huius Fragmenti.

In Concilio itaque Ariminenſi legitimo definitum legimus: *Si quis Patrem, & Filium duos Deos, hoc eſt non nata duo principia dixerit, & non Patris & Filii, unam Deitatem profiteatur, anathema ſit. Similiter ſi quis Filium Dei Creaturam vel Facturam dixerit, anathema ſit. Item, ſi quis Filium Dei de Maria initium ſumpſiſſe dixerit, vel fuiſſe tempus quando non erat Filius, anathema ſit. Item ſi quis Filium Dei aut Temporalem, aut Hominem ſolum, & non ante omnia ſaecula de Deo Patre natum profiteatur, anathema ſit:* quos Canones refert laudatus Labbeus Tom. I. Collectionis Conciliorum pagin. DCCXIV. Edit. Pariſ. MDCCXV.

Niſi

Niſi mihi propoſitum eſſet Generalium, & Ooecumenicorum tantummodo Synodorum de Filii Divinitate Canones recenſere, plurima etiam Concilia particularia referre liceret, diverſis Eccleſiae tum Graecae, cum Latinae temporibus habita, quae perpetuam atque conſtantem propoſiti Dogmatis Fidem declarant, atque confirmant; ut Narbonenſe anni DCCLXXXVIII. Ratiſponenſe an. DCCLXXXXII. & Francofordienſe anni DCCLXXXXIV. coactum ab Hadriano I. Romano Pontifice, & ex ea parte confirmatum, & pro Oecumenico declaratum, qua definierat, Chriſtum non eſſe Filium Dei adoptivum; & errorem damnaverat Felicis Vrgelitani, & Elipandi Toletani, Epiſcoporum, qui in Dei Filio aſſerebant adoptionem, quatenus hoc adoptionis vocabulo ſolam Humanitatem Chriſto tribuebant, Divinitatem vero detrahebant, & Neſtorianiſmum renovabant. Binius in Notis ad Concilium Francofordienſe, & Laurentius Surius in Admonitione ad hanc Synodum. Videſis has Additiones laudatis

tis Conciliis apud Philippum Labbeum Tom. IX. Conciliorum pag. 111.

Symbolum etiam Athanaſianum, quod pluribus eruditis viris Venantii Fortunati, aliis vero Vigilii Tapſenſis, foetum eſſe placet (quod tamen Symbolum Venerabilis Cardinalis Ioſeph Maria Thomaſius Athanaſio tribuendum erudititiſſime demonſtravit) manifeſtam in Chriſto Domino Divinitatis confeſſionem declarat ſed iam ad Liturgias accedamus.

D I-

DIVINITAS IESV CHRISTI

Ex antiquis Liturgiis demonſtratur.

CAPVT SECVNDVM.

QVoniam Ritus, quibus in Sacramentorum adminiſtratione utitur Eccleſia Catholica edocta a Spiritu Santo, *qui nihil inordinatum operatur*, ut docet Divus Thomas III. P. Q LXVI. X. O. graviſſima Theologis argumenta ſuppeditant ad noſtrae Orthodoxae Fidei dogmata comprobanda inluſtrandaque; ex variis Liturgiis, Romanae Eccleſiae Doctrinae omnino conſo-

nis, Chriſti Domini Divinitatem heic demonſtrandam adgredior. Illud itaque ſtatuendum videtur, Liturgias, quae Apoſtolorum nomina praeſeferunt (quamvis ab Apoſtolis ſcriptae non fuerint; nam primis quatuor Eccleſiae ſaeculis Ordo celebrandi divina Myſteria ſcriptus nondum erat, ſed Epiſcoporum caeterorumque Sacerdotum memoriae tantum impreſſus) tamen ad Apoſtolos auctores eſſe referendas, cum uniformitas, & convenientia Orationum ad Euchariſtiae conſecrationem naturamque pertinentium, quae in diverſis diverſarum Eccleſiarum Liturgiis ſervatae reperiuntur, clariſſimum habendum ſit argumentum, eas ab uno, eodemque Spiritu Chriſti Domini ſummi Legiſlatoris, & Magiſtri, quem Apoſtoli docentem audierant, dictatas fuiſſe, & traditione, ac conſuetudine deinceps per aliquot ſaecula conſervatas, poſtea vero ne iniuria temporum delerentur literis exaratas, & tanquam pro Canone propoſitas, ut ſentit V. C. Pater Auguſtinus Urſius Sacri

Apo-

Apoſtolici Palatii Magiſter Tom. I. lib. I. Hiſt. Eccleſ. n. xxxv. & cum illo celebres Bollandiani Socii Tom. VI. Acta Sanctorum Iulii cap. I. de Liturgia Hiſpanica Mozarabica Parte III. & V., quas Liturgias ſub nomine Sanctorum Petri, Iacobi Minoris, Ioannis, & Matthaei, nonniſi quarto Eccleſiae ſaeculo editas, & Pſeudepigraphas ſeu ſuppoſititias eſſe evincunt etiam alii Viri eruditi, Natalis Alexander Hiſt. Eccl. ſaec. VII. cap. XII. art. III. Hiacynthus Graveſonius Hiſt. Eccl. ſaec. XV. coll. VI. quamvis contineant doctrinam ab Apoſtolis traditam, etſi ab iis non ſint conditae, atque digeſtae, graviſſimaque de Chriſti Divinitate referant teſtimonia, quae legi poſſunt Tom. II. poſt primum Indicis Bibliothecae Veterum SS. Patrum.

His poſitis, Sanctorum Baſilii, Chryſoſtomi, & Cyrilli, utpote qui Apoſtolicis temporibus proximiores fuere, & Chriſti Domini Divinitatem luculentiſſime teſtantur nominibus inſignitas recenſebimus Liturgias; aliqua poſtmodum

 de

de Sacramentario Leoniano, Miſſali Mozarabico, atque de Conſtitutionibus Apoſtolicis, delibaturi.

Baſilii igitur nuncupata Liturgia, ſeu Miſſa ſaepiſſime humanum Deum noſtrum vocat; & poſt Canticum Gloriae in excelſis, dicit Presbyter: *Unigenite Fili, & Verbum Dei, cum ſis immortalis, dignatus es propter noſtram ſalutem incarnari, & de Sancta Dei Genitrice, & ſemper Virgine Maria immutabiliter humanari, ac crucifigi, Chriſtus Deus noſter, morte mortem calcaſti unus qui es de Sancta Trinitate, conglorificatus Patri, & Sancto Spiritui, ſalvos nos fac*. Pag. DCCCLVII. L. B. Edit. Antuer. an MDLXX.

Chryſoſtomi Miſſa, ſeu Liturgia in Oratione ſecreta haec habet: *Attende Domine Ieſu Chriſte &c.: qui in excelſis cum Patre ſimul reſides, & hic una nobiſcum inviſibiliter verſaris &c.* Apud Iacobum Goar pag LXXXI. Edit. Pariſ. an. MDCXXXXVII.

Cyrilli Alexandrini Liturgia ſic precatur: *In Orationibus, & obſecrationibus noſtris, quas offerimus tibi Chriſte Deus noſter,*

tem-

tempore Sanctae huius oblationis &c. Vide Victorium Scialach Maronitam p. LXVII. Edit. Auguſtae Vindelicorum an. MDCIV.

Sacramentarium etiam Leonianum nuncupatum, in feſto Pentecoſtes aſcendentibus de Fonte, hanc benedictionem legendam proponit: *Benedic Domine & has tuas creaturas, Fontis, Mellis, & Lactis, & pota famulos tuos ex hoc Fonte aquae vivae perennis, qui est Spiritus veritatis, & enutri eos de hoc Lacte, & Melle, quemadmodum Patribus noſtris Abraham, Iſaac, & Iacob ...... Introducere Te eos in terram promiſſionis, terram fluentem Melle, & Lacte: Coniunge ergo famulos tuos Domine Spiritui Sancto ſicut coniunctum eſt hoc Mel, & Lac, quo coeleſtis, terrenaeque ſubſtantiae ſignificatur unitio in Chriſto.* Ludovicus Muratorius Tom. I. Liturgia Romana vetus cap. III.

Plurimae etiam aliae laudantur Liturgiae ab Euſebio Renaudotio Tom. I. Liturgiarum: Orientalium, & a Ludovico Antonio Muratorio in opere, Liturgia Romana vetus, quibus omnibus Chri-

ſti

Digitized by Google

ſti Divinitas ſatis abunde demonſtratur.

Cum relatis Liturgiis convenit etiam Ordo Liturgiae Mozarabicae, de qua Eruditiſſimus Cardinalis Ioannes Bona lib. 1. Rer. Litur. cap. XI. num. 11. haec habet.

Licet Miſſale Mozarabicum a Viris Sanctis recognitum fuerit; Hiſpania tamen ab Infidelibus devaſtata, ita erroribus refertum eſt, ut Elipandus Toletanus Epiſcopus ex ipſis teſtimoniis depravatis plura acceperit teſtimonia ad ſuam Haereſim confirmandam. Hinc laudati Bollandiani Socii in Diſſer. de Liturg. Mozar. Tom. cit. in Miſſale Mozarabicum ſacrilegè graſſatos Haereticos illius temporis putant: nec iuvat reponere Sanctos Eugenium, Hildephonſum, & Iulianum Toletanos Archiepiſcopos Miſſas probaſſe, quae legebantur in illis Hiſpaniarum Eccleſiis, videlicet in Coena Domini in Praefatione Miſsae: *Qui per adoptivi hominis paſſionem, dum ſuo non indulſit corpori*: & in Miſſa de Aſcenſione Domini

ni ad Introitum : *Hodie Salvator noſter poſt adoptionem carnis ſedem repetivit Divinitatis*. Nam melius eſt, inquit Concilium Francofordienſe in ſua Synodica, teſtimonio Dei Patris credere de ſuo Filio, quam Hildephonſi veſtri, qui tales vobis compoſuit preces in Miſſarum ſolemniis quales univerſalis, & Sancta Dei non habet Eccleſia, nec vos illis exaudiri putamus; & ſi Hildephonſus veſter in orationibus ſuis Chriſtum adoptivum nominavit, noſter vero Gregorius Pontifex Romanae Sedis, & clariſſimus toto orbe Doctor, in ſuis orationibus ſemper eum Vnigenitum nominare non dubitavit. Francofordienſes enim Patres ad propulſandas a Sanctis Patribus Eugenio, Hildephonſo, & Iuliano Haereticorum criminationes prudenti quadam oeconomia uſi fuiſſe videntur, Romani Pontificis iudicium laudatis Liturgiis praeponentes; Caeterum laudatis Patres, Eugenius Iunior, Hildephonſus, & Iulianus ſplendidiſſima Divinitatis Chriſti Domini ſuis in operibus teſtimonia protulere. Beatus

enim

enim Eugenius Iunior Epiſcopus Toletanus in Opuſculo, Oratio ad Deum n. XII. lit. A. B. ſic canit:

Multa pavenda quidem cecini, ſed multa tremenda,
Sed mage quid verear, nunc lacrymando loquar.
Iudicis Altithron iam triſtis cerno tribunal,
Cuius ad intuitum cuncta creata tremunt.
Subſternit niveas Coelorum turba coronas,
Et titubante genu proruit ante thronum.
Cernere ſic ambit Dominum, ſic ſemper amare,
Vt pulſet animum mixtus amore timor.
Quid faciet ergo vermis putredo favilla,
Si Chriſti faciem corda beata pavent?

Apud Biblioth. vet. PP. Tom. XII. pagina CCCXXXXVII.

Sanctus vero Hildephonſus in libro de perpetua virginitate Sanctae Mariae, & de eius parturitione, Divinitatis Chriſti Domini egregia refert teſtimonia, quem librum V.C. Robertus Bellarminus S. Hildephonſo cenſet adſcribendum; quamvis Dacherius, Paſchaſio Radberto, qui floruit annis DCCCXXX. trecentis annis ante Divum Bernardum, adſcribendum cenſeat: ſed uter fuerit Auctor huius libri, ex ipſomet etiam Paſchaſio Radber-

to

to evidentiſſime conſtat Catholicum Dogma Divinitatis Chriſti Domini, ut videre eſt Tom. xiv. Bibliot. Vet. SS. PP. Paſchaſii autem Radberti mentio erit capite poſtremo hujus Diſſertationis. Verum hac de re videri poſsunt Bollandiani Socii die xxiii. Ianuarii in Vita huius Sancti, deſcripta ab Iuliano eiusdem Sedis Antiſtite, qui in numero librorum ab Hildephonſo Scriptorum expreſse non meminit libri de perpetua virginitate, & parturitione eiusdem Sanctæ Virginis, inquiens : „ Scripſit autem & alia multa, „ quae variis rerum, ac moleſtiarum oc„ cupationibus impeditus, alia coepta, „ alia ſemiplena reliquit „ : quamvis D. Thomas Tamayo de Vargas, qui huius Sancti vitam e veteribus MSS. eruit, & inluſtravit, in notationibus ad hanc vitam hunc librum de perpetua Virginitate, & parturitione eiusdem Sanctae Virginis inter Hildephonſi Opera recenſeat. Sed cum omnes Critici conſentiant libellum de Virginitate Sanctae Mariae, contra tres infideles Hildephonſi Archiepiſcopi

 To-

Toletani germanum foetum eſſe, ex ipſomet Sancto Hildephonſo capite quarto laudati libelli de Chriſti Divinitate, irrefragabilem proferimus auctoritatem. Inquit enim hoc in libello Sanctus Pater: *Horum itaque vaticinantium omnium (nempe Prophetarum) ad hoc ſumma porrecta eſt, ut de Spiritu Sancto, & Maria ſemper Virgine fieret hoc Verbum Caro, fieret Deus homo, fieret humanum quod erat Divinum, non diminutione Deitatis, non interitu aeternitatis, non commutatione incommutabilis veritatis, ſed aſſumptione carnis, ſed parturitione hominis, ſed ſocietate humanitatis; ſicque in unione perſonae idem ſit homo qui Deus, idem ſit & qui Divinitas, & qui Humanitas eſt.*

Quod autem adtinet ad Sanctum Iulianum tam in libris Prognoſticon, quam contra Iudaeos, & in Commentariis in Naum, praeclariſſime de Filii Divinitate loquitur: unum tantummodo ex bene multis locum referam deſumptum ex libro III. Prognoſticon capite VIII. quo loco Sanctus Pater ita ſcribit: *Chriſtus Dei Filius cum ad iudicium venerit faciendum,*

omnes

omnes pariter humanitatem eius iuſti, & iniuſti viſuri ſunt; Divinitatem tamen eius iniuſti non videbunt, quae tantum iuſtis videnda promittitur: nam quod ab iniuſtis, Divinitas eius non videatur, teſtatur Eſaias, qui dicit; tollatur impius, ne videat maieſtatem Dei: *ex quo apertiſſimè patet quod reprobi tunc humanitatem eius, utique in qua iudicatus eſt videbunt, ut doleant; Divinitatem vero non videbunt, ne gaudeant: quibus enim Divinitas oſtenditur, utique ad gaudium demonſtratur.* Bibliot. V V PP. Tom. XII. pag. DCV. Edit. Lugdun. ann. MDCLXXVII. Neque illud etiam accedit in Mozarabicae Liturgiae confirmationem, Ioannis Decimi Pontificis mandato, qui Romae quamdam Synodum congregavit, cui Ioannes, ſive Ioannellus Presbyter, ut Legatus Sancti Siſenandi Compoſtellani Epiſcopi interfuit, Liturgiam iſtam fuiſſe adprobatam, utpote nihil quod non ſit Orthodoxae Fidei conſonum continentem; ideoque in Hiſpaniis fuiſſe retinendam dummodo cum Eccleſia Romana conveniret in verbis conſecratoriis Cor-

Digitized by Google

poris, & Sanguinis Chriſti Ieſu, ut refert Baronius anno DCCCCXVIII., & Fleury Hiſt. Eccl. lib. LIV. T XI p. DC. Edit. Pariſ. An. MDCCXXXXII., nam quoad praeſentem controverſiam, Miſſalia illa emendata fuiſſe cenſent viri eruditi; nec immerito, cum Francofordienſis Synodus an. DCCXCIV. celebrata, annis centum, & ſupra Romanam Synodum, de qua agimus, praeceſſerit.

Ioannes etiam Laurentius Berti Auguſtinianus in Piſano Lyceo Hiſtoriae Eccleſiaſticae Lector celeberrimus, in Opere de Theologicis diſciplinis lib. XXII. cap. IV. dum Chriſti Divinitatem contra impios Haereticos propugnat, refert quoddam Catechumenorum Symbolum in libro Conſtitutionum Apoſtolicarum Septimo cap. XLI. deſcriptum, & his verbis conceptum: *Credo, & baptizor in unum Ingenitum ſolum verum Deum, Omnipotentem, Patrem Chriſti, atque Opificem univerſorum, ex quo omnia: & in Dominum Ieſum Chriſtum Unigenitum eius Filium:* & licet de Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctore inter eruditos plane non conveniat; omnes tamen

men conſentiunt plura inde utiliter hauriri, ad explorandam veterem diſciplinam, & in eandem ſententiam laudat piiſſimum Cardinalem Bonam de reb. Liturg. cap. VIII. Ioannem Morinum de Sacramento Ordinis, & Ioannem Frontonem in praenotatis ad Kalendarium Romanum §. v. in quarum Conſtitutionum libro VIII. de Graecorum Miſſa, plures adferuntur Liturgiae, quae Divinitatem Filii manifeſte teſtantur: & licet hae Conſtitutiones a viris Criticis habeantur, ut ſuppoſitiae; probant tamen Fidem, quam iis temporibus, cum conſcriptae fuere, Eccleſia Chriſtiana, intemeratam profitebatur; eodemque pretio quo Canones Apoſtolici habendae eſse videntur.

Suppeditant igitur variae tum Graecae, tum Latinae Eccleſiae Liturgiae argumenta firmiſſima ad Chriſti Domini Ieſu Divinitatem adſtruendam. Nunc reliquum eſt, ut idem ex variis Chriſtianorum, & Gentium monumentis demonſtrandum ſuſcipiamus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT POSTREMVM
DESVMTVM.

Ex variis Chriſtianorum, & Gentium Monumentis.

POſtremo loco nonnulla proferam veterum Chriſtianorum, & Gentium monumenta, quibus Chriſti Domini Divinitatem mirifice teſtatam comperimus.

Antiqua Chriſtianorum Coemeteria ingrediamur.

In vetuſtis lucernis, quas ad ſepulchra accendebant Chriſtiani, lapidibuſque ſepulchralibus, multa exſtant ſigna, ac Hieroglyphica, quae Chriſti Divinitatem repraeſentant. Modo videmus Chriſtum ſub figura Piſcis repraeſentatum; non quod Chriſtiani colerent piſcem, ideoque vocandi

candi eſsent Piſcicolae; quo nomine apud Chriſtianae Religionis hoſtes vocitabantur: ſed quod in Piſce Tobiano, cuius iecore aſsato fugatus eſt Diabolus, ſymbolum agnoſcerent Chriſto Dei Filio Servatori noſtro exprimendo accommodatum; per cuius carnem, veluti paſſione decoctam, devicta eſt Diaboli poteſtas, ut animadvertit Sanctus Proſper de Praed. & Promiſ. par. II. cap. XXXIX. Cujus verba ſunt haec: *Myſticum vero actionis huius hoc eſt, quod ex interioribus Piſcis, & Daemon fugatus eſt, & Tobias illuminatus. Hoc agit Piſcis magnus ex Paſſione ſua Chriſtus purgans Mariam, ex qua expulit ſeptem Daemonia;* quod ſane miraculum non ſola humanitas, ſed humanitati coniuncta Divinitas effecit. Modo Sepulchris inſcriptum videmus Monogramma, ☧ quod Monogramma indicat antiquos Chriſtianos Chriſti Divinitatem credidiſse, quod fuſius oſtendit V.C. Antonius Franciſcus Gorius Praepoſitus Baſilicae Baptiſterii Florentini in vol. III Symbolarum ſuarum, edito Florentiae anno MDCCL.

prae-

praeſertim cap. IV. V. & VI. ubi differit de mitrato Ieſu Chriſti Crucifixi capite, quem vide: non enim credibile eſt ab illis hoc Monogramma Sepulchris inſcribi conſueviſſe, niſi Chriſtum Deum credidiſsent ab eoque glorioſae Retributionis praemium ſperaſsent aeternum. Clariſſima etiam huius rei in toto ſuo opere, quod *Acta Martyrum* inſcribitur, exempla ſuppeditat ſapientiſſimus Theod. Ruinart. Monachus S. Benedicti: quinimmo, ut erudite obſervat V. C. Mag. Thomas Vincentius Monelia O. P. in Piſano Lyceo S. Paginae Profeſs. Diſs. 2. de utriuſq. Philippi Religione cap. VI. n. XVI. *Idolis exulare iuſſis coluntur Martyres, non quia ipſis vel templa excitentur, vel ſacrificia exhibeantur, quae nefas eſt, niſi vero Deo offerre; ſed quia egregie vindicarunt unius Dei cultum, maieſtatemque indignis modis habitam a Divinitatis hoſtibus, & contemtoribus.* Modo videmus ipſum Monogramma poſitum in medio duarum literarum A, & Ω, quae principium, & finem indicant; quaeque nemini niſi ſoli Deo conve-
niunt,

niunt,& ex Ioannis Apocalypſi deſumptae eſse videntur, Catholicorumque Sepulchris inſcriptae erant, ut indicarent ea non pertinere ad Arianos, qui Chriſti Divinitatem negabant: etſi etiam ante Arianam Haereſim hoc Monogramma Chriſtianorum Sepulchris inſcribi conſuevíſse aliqui putent. Quidquid autem ſit de hac controverſia, certe ſolemne Chriſtianis exſtitit hoc Monogramma Sepulchris inſcribere, ut oſtendit Paulus Aringhius Romae ſubterraneae lib. III. cap XXII. pag. DCV. exhibens hunc ſepulchralem lapidem.

VICTORINA TVMVLAVIT ERACLIO &c.



. . . .
. . . .
. . . .

Idem Auctor lib. III. cap. XXII. laudati operis pag. DCV. eiusdem Euſebii, qui Coemeterium, & Sancti Pauli Baſilicam inſtauravit, refert antiquiſsimam Inſcri-

Digitized by Google

ptionem Monogrammate inſignitam, quae Chriſti Domini, ſanctique Spiritus Divinitatem manifeſte demonſtrat. Initiales autem, literae quae in hoc lapide exprimuntur ſunt ſequentes.

* NOMINE DEI PATRIS OMNIPOT. S . . . .

ET DOMINI NOSTRI IESV . . . .
FIL. . . . ANCTI -- PARA . . . .
CLETI EVSEBII &c. . . . .

Quiſnam vero Euſebius fuerit haud ullum lectori negotium faceſſat; ſatis enim nobis interim eſt ex eadem Inſcriptione legentibus palam fieri Coemeterium illic celebre, atque inſigne antiquis temporibus extitiſſe, in quo cubicula picturis affabre velut in ceteris exornata conſpiciuntur, ut ſcribit ibidem laudatus Aringhius. Celebris etiam Ludovicus Muratorius in novo Theſauro Vet. Inſcript. Tom. IV. Inſcript. Chriſtian. claſſe XXV. pagin. MCMXXIII. hanc refert Inſcriptionem.

ſcri-

Digitized by Google

HIC IACET PERPETVVS IN CHRISTO
DEO SVO PERBENEMERITVS
QVI VIXIT ANNOS XXV.
LEONTIA MATER TITVLVM POSVIT
IN PACE.

A ☧ Ω

Haec quidem Monumenta apertiſſime teſtantur Chriſti Divinitatem, & quamvis non omnia genuina cenſeantur, negligenda tamen non ſunt. Probant enim fidem illorum temporum, quibus hi ſepulchrales lapides poſiti fuere, ut ſapientiſſime animadvertit Mamachius Caſanatenſis Bibliothecae Praefectus in eruditiſſimo opere, quod *Antiquitates Chriſtianae* inſcribitur. Vir etiam Clariſſimus Marchio Scipio Maffeus in Muſeo Veronenſi Inſcript. Chriſtian. pag. CLXXIX. hanc refert Inſcriptionem.

In hoc ſancto ET RELIGIOSO LOCO . POSITA . EST LICINIA .
honeſta femina . OMNI LAVDE BEATA .
ET DEO CHRISTO
devota . THEODOTO . DIACONI . IVNCTA
PVDICA . QVAE
vixit ſecum ANN. PM. XXVII. ET IN
VIDVITATE . ANN. PM. XXV.
denique . COMPLETO . ANN. LXVII. M. X. D. III.
DEQ. XVII. K. NOV.
A *Matri* . BENE . MERENTI . IN PACE . Ω

Nulla quidem ex priſcis Inſcriptionibus, neque conſimile monumentum aliud ad hanc diem agnitum, Chriſti, qui eſt ſuper omnia Deus, Divinitatem tam diſerte canit, veterumque Chriſtianorum teſtatur Fidem.

Plinius Iunior lib. x. Epiſtola xcvii. ad Traianum Chriſtianos ſolitos fuiſſe adfirmat carmen Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum invicem. Tertullianus vero iſta Plinii verba ſic reddit Apologetici cap. 1. nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quam coetus antelucanos ad canendum Chriſto, ut Deo; quibus in locis particulae illae *quaſi*, & *ut*, non ſimilitudinem, ſed veritatem ſignificant, quemadmodum graviſſimi Viri aliorum locorum

rum exempla ſimilia afferentes oſtendunt. Graecus etiam Euſebius Hiſt. Eccl. lib. v. cap. XXVIII. docet, iam inde a primis Eccleſiae temporibus Chriſtianos Chriſto ut Deo carmina canere conſueviſſe; & Euſebii verba a Clariſſimo Viro Ioanne Lamio in opere, quod inſcribitur de recta Chriſtianorum in eo quod Myſterium Divinae Trinitatis adtinet ſententia lib. v. cap. IV. ita latine vertuntur: *Quot autem Pſalmi, & Odae Fratrum ab initio a Fidelibus ſcriptae Verbum Dei Chriſtum, ut Deum praedicabant?*

Haec mihi ſcribenti V. Celeber. Gorius eximiam Chriſtianam genuinam Inſcriptionem indicavit, a Boldettho de Sacris Coemeteriis adlatam Lib. I. Cap. XV. pag. 58 e Coemeterio Priſcillae erutam, qua Divinitas Ieſu Chriſti confirmatur, & evincitur, quae Graece ita ſcripta eſt:

La-

Ο ΘЄΟϹ Ο ΚΑΘΗΜΕΝΟϹ
ΙϹΟЄΖΙΑΤΟVΠΑΤΡΟϹ
ΙϹΤΟΠΟΝΑΓΙѠΝ ϹΟV
ΝЄΚΤΑΡЄ ΟΥΤο ΨVΧΑ
ΡΙΝ ΝΕΤΡΑΨЄ

Latine autem ita ab eo redditur: *Deus, qui ſedes ad dexteram Patris deſcripſiſti in loco Sanctorum* (vel ſervorum tuorum) *animulam Nectarii*, vel Nectarei. Neque alius eſt, qui ad dexteram Dei Patris ſedet, niſi Ieſus Chriſtus factus Homo pro nobis, qui eſt verus Deus, & verus Homo. Sed & alium lapidem idem Cl. Gorius mihi humaniſſime communicavit, fortaſſis ineditum, quem invenit inter Schedas Donianas; in quibus Cl. Donius adnotat inventum fuiſſe in Coemeterio Cyriacae, & ita ſe habet.

IRE-

Digitized by Google



IRENETI MERENTI
ANNOR. XV.
VIBAS IN CHRISTO DEO

Diſertiſſima itaque habemus teſtimonia Divinitatis Chriſti ex vetuſtiſſimis primitivorum Chriſtianorum ſcriptis ad ſepulcra monumentis, quibus nil clarius, nil indubitatius, & auctoritate dignius adferri poteſt; quae antiqui Fideles ab ipſis Apoſtolis & teſtibus Divinitatis & Humanitatis Ieſu Chriſti Servatoris noſtri acceperunt; atque ex ipſo praeſertim ore S.Petri Apoſtolorum Principis didicerunt; qui interrogatus ab ipſo Chriſto reſpondit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi &c.*

Quod autem ſpectat varia Gentium monumenta, Sanctus Pater Auguſtinus libro de Civitate Dei XVIII cap. XXIII. Erythraeae Sibyllae Oraculum refert, quo Ieſus Chriſtus Dei Filius Sal-

va-

vator dicitur, cuius etiam Sibyllae carmina refert: haec autem, inquit, Sibylla, Erythraea, ſive, ut quidam magis credunt, Cumaea, ita nihil habet in toto Carmine ſuo, cuius exigua iſta particula eſt, quod ad Deorum falſorum, ſive factorum cultum pertineat: quin imo ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, ut in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad Civitatem Dei, & lib Cont. Fauſt. Manich. XIII. cap. IV haec habet: *Sibylla porro, vel Sibyllae, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alii (ut Zoroaſtres, quem Semiramidi coaevum ferunt, & Plato ipſe pluribus in locis) Vates, vel Theologi, vel Sapientes, vel Philoſophi Gentium de Filio Dei aut de Patre Deo, vera praedixiſſe, ſeu dixiſſe perhibentur, valet quidem ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos Idola, & Daemonia colenda partim docere auſi ſunt, partim probare auſi non ſunt.* Eruditiſſimus

ve-

vero Leonardus Coquaeus Auguſtinianus in Commentariis ad hunc locum, divino quodam afflatu Sibyllas locutas, non concitatione quadam animi, aut ſoluto liberoque motu, ut contendit Cicero lib. I. de Divinitate, arbitratur. Lactantius pariter lib IV. cap. VI. de falſa Religione ait; eſſe autem ſummi Dei Filium, qui ſit poteſtate maxima praeditus, non tantum congruentes in unum voces Prophetarum, ſed etiam Triſmegiſti praedicatio, & Sibyllarum vaticinationes demonſtrant: & mox: Sibylla Erythraea in Carminis ſui principio, quod a Summo Deo exorſa eſt, Filium Dei Ducem, & Imperatorem omnium ſuis verſibus praedicat, ut videre eſt apud Divum Auguſtinum laudato cap. XXIII. de Civitate Dei Quamquam vero carmina Sibyllina, quae apud Onuphrium Panvinium Veronenſem complura collecta leguntur, a Domino Ioanne Opſopoeo Brectano, cum interpretatione latina a Viris Criticis habeantur inter apocrypha; Nicolaus tamen Nourriſius in

Apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Sanctorum Patrum Diſſ. XII. cap. III. §. V. Scriptores plurimos doctrina, & eruditione celebres enumerat, indubitanter carmina illa Sibyllis tribuentes, cum in primis Conſtantinum Magnum oratione ad Sanctorum Coetum, id eſt ad Patres Concilii oratione, ubi & integra deſcribuntur, & ea eſſe, quae Cicero laudat, proculdubio in iisdem aſſeritur, videlicet:

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas:
Magnus ab integro ſaeclorum naſcitur ordo,
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna.
Iam nova progenies coelo demittitur alto;
Tu modo naſcenti Puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea Mundo,
Caſta Lucina fave . . . .
Hoc duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.

Quae carmina Virgilius Aſinii Pollionis novi Conſulis filio Salonino, ſive Salonio, accommodavit. In Bibliotheca autem magna Tom. XIV. fragmentorum Sibyll. pag. LXXXII. Edit. Pariſ. an. MDCLIV. hi Cumanae Sibyllae verſus ita referuntur:

Iam

Iam mea certa manent, & vera noviſſima verba
Ultima venturi, quod erunt oracula Regis.
Qui toti veniens mundo cum pace placebit,
Ut voluit, noſtra veſtitus carne decenter
In cunctis humilis caſtam pro matre puellam
Deliget, haec alias forma praeceſſerit omnes.

Quam collectionem Graecorum carminum in octo digeſtam libros, inſcriptamque Oracula Sibyllina, opus eſſe medii, ſecundi Eccleſiae ſaeculi exiſtimat Auguſtinus Calmetus in Supplemento Dictionarii Biblici, verbo Sibyllae Tom. II.

Quae quidem carmina contra Blondellum de Sibyllis, & Caſaubonum in Baronium Exercitatione I. alioſque Heterodoxos evidentiſſime probant Eccleſiae primitivae Fidem. Nam ſi ex Calmeto loc. cit., & Natali Alexandro Hiſt. Eccleſ. ſaec. I. Diſſert. I. prop. I. & II.; aliiſque critices ſtudioſis, ſaltem ſecundo ſaeculo ab aliquo Chriſtiano viro, qui Chriſtianae Religionis myſteria noverat, edita ſunt; profecto primitivae Eccleſiae Fidem de Chriſti Domini Divinitate pleniſſime confirmant. Quinimo

mo Eruditiſſimus Antonius Pagius in Diſſertatione Hypatica, ſeu de Conſulibus Caeſareis anno Chriſti CCLXXI. pagina CCLXXIV. edit. Lugdun. exiſtimat, licet Sibyllarum carmina prorſus genuina, & incorrupta non ſint, quae tamen ab antiquis Patribus laudantur, Chriſtianorum figmenta non eſſe: & Eminentiſſimus Cardinalis Baronius in Praefatione Annalium Eccleſiaſticorum Tom. I. Sibyllas de Chriſto vaticinatas tradit: Daniel vero Huetius in Demoſtratione Evangelica Prop. VII. num. XXXI. teſtimonium refert Proſperi Intorcettae Siculi Ieſuitae in Excerptis quibuſdam e libro ſecundo Magni illius Confucii Sinenſium Philoſophorum principis, qui cum Regem ad virtutem adhortaretur, ita loquitur: *Legibus Coeli, ac Terrae facta eius conſentiunt; neque vereri debet, ut cum Sanctus ille expectatus advenerit, idem tum virtuti eius, ac dum regnaverit, bonos habeatur*. Praedixiſſe eundem futurum, ut Verbum Caro fieret, proditum a Martinio eſt Hiſt. Sinen. lib. IV.

at

at qui annis L. ſupra D. ortum Chriſti Sinenſis ille Socrates id eſt Confucius anteceſsit: ergo iam ad Synas veteris Teſtamenti Oracula pervaſerant; inde adeo circa id tempus, quo exitus harum praedictionum expectabatur, e ſequenti quoque aevo in multis viris eventum habuiſse credita ſunt.

Paſchaſius vero Radbertus loco citato cap. 11. huius Diſſertationis, videlicet Tom. XIV. Bibl. Vet. SS. PP. pag. CCCXC. Editionis Lugdun. ann. MDCLXXVII. ait: *Mirabiliter velut organis his, uſus eſt Spiritus divinus (Gentium ſcilicet teſtimoniis) ut paene omnia, quae de Chriſto ſunt adimpleta, ſuo carmine longe ante praenotarent.*

Auctor etiam Dialogi, qui Philopatris inſcribitur, Auctor quidem Ethnicus, & certe perantiquus, & primi, ut videtur ſaeculi, dum veritatem, quae Chriſti Divinitatem ſpectat irridere ſacrilego auſu non veretur, de eadem inluſtre perhibet teſtimonium; nam modo Deum alte regnantem vocat Filium Patris, ut unum ex tribus: quae quidem verba ar-

guere

guere antiquitatem Fidei, quae Chriſti Divinitatem ſpectat, laudatus Ioannes Lamius praecitati operis lib. v. cap. xviii. ſapientiſsime animadvertit.

F I N I S.

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA

Pag. 3. linea 3. adgredior,
6. l. 5. animum inſpicias
7. l. 2. quod ad Domini
— l. 8. videar, conſilium mihi eſt eandem
8. l. 1. pretium
— l. 21. differuerint
9. l. 10. tantummodo
12. l. 5. Viri fratres,
— l. 22. Oecumenicum
13. l. 13. Chriſtus,
— l. 20. Patris,
14. l. 3. accommodata
15. l. 24. Chalcedonenſe
16. l. 25. *quam ad Marin*
20. l. 6. procedit. Labbeus
— l. 14. Patriarcha
23. l. 2. Oecumenicarum
24. l. 2. Conciliorum pag. 111.: Verum Neſtorius duás a Chriſto non adimebat naturas; ſed duas perſonas tribuebat ſimul unitas, uti naturas.
31. l. 22. laudati Patres
32. l. 6. *Altithroni*
37. l. 13. ſuppoſititiae;
46.—Inſcriptio Chriſtiana ita ſculpta in lapide, uti ex Boldetto editâ hic eſt: verum ex laudato Cl. Ioanne Lamio, ita reſtituenda:

Ο ΘЄΟϹ Ο ΚΑΘΗΜЄΝΟϹ
ΙϹ ΔЄΞΙΑΝ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟϹ
ΙϹ ΤΟΠΟΝ ΑΓΙΩΝ ϹΟΥ
ΝЄΚΤΑΡЄΟΥ ΤΟ ΨΥΧΑ
ΡΙΟΝ ΤЄΤΡЄΦΞ.

Hoc eſt: *Deus, qui ſedes ad dexteram Patris, in locum Sanctorum tuorum Nectarei animulam tranſtuleris.*

47. l. 16. ſpectat ad varia
48. l. 11. Dei; & lib. contra Fauſtum Man'ch. XIII. cap. XV. haec habet: *Sibylla porro, vel Sibyllae, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alii Vates (ut Zoroaſtres, quem Semiramidi coaevum ferunt, & Plato ipſe pluribus in locis, uti ego obſervo) vel Theologi &c.*
— l. 19. *valet quidem aliquid*
— l. 25. *partim probibere auſi non ſunt.*
49. l. 24. cum interpretatione Latina, edita a Viris
51. l. 9. opus eſſe medii ſecundi Eccleſiae Saeculi
53. l. 20. quae ad Chriſti
54. l. 1. quae ad Chriſti

Z. 11. ... 10
FH 3 2491

Digitized by Google

005649186

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google